

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6601

Auteur(s) : Geoffroy V le Bel, Anjou (comte)

Bénéficiaire(s) : Henri, fils du comte Geoffroy d'Anjou [autre]

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : [1145, mars-1147]

Lieu d'émission : Angers et Tours

Action juridique : notification

Langue du texte : latin

Analyse

Notification par Geoffroi le Bel, comte d'Anjou, à Henri, son fils aîné, d'un accord conclu, en sa présence, entre les moines de Saint-Julien de Tours et les moines de Vendôme.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° IV*, t. 1, p. 8-10.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 8.

Texte établi d'après a

G., Andegavorum comes, H., primogenito suo, salutem.
Noveris, fili karissime, quod calumpnia quam monachi Sancti Juliani Turonensis per Haimericum, abbatem suum, Vindocinensibus monachis faciebant pro tribus capellis de Carcere, Sancte videlicet Marie Sanctique Vincentii et Beati Nicolai, Andegavis in presentia mea sedata fuit. Prefatus namque Haimericus calumpniam illam penitus dimisit et predictas capellas Vindocinensi monasterio jure perpetuo possidendas concessit, meque plegium dedit Roberto Vindocinensi abbati, quod in capitulo Sancti Juliani illam dimitteret, et a suo conventu dimitti faceret, et predictas capellas concedi. Huic ego rei testimonium perhibeo, ubi mecum interfuerunt testes idonei, Vaslotus magister scholarum Sancti Mauricii Andegavis, Hugo Carnotensis canonicus Sancti Laudi, Hugo de Cleeriis, Pipinus Turonensis, Joslenus Turonensis. Et ne rediviva calumpnia litem deinceps moveret inter Turonenses et Vindocinenses monachos, misi per dictum Vaslotum ad dominum Hugonem Turonensem archiepiscopum, rogans eum ut de clericis suis mitteret qui prefate calumpnie dimissionem audirent et capellarum concessionem. Ille petitioni mee difficilis non fuit, sed cum prefato Vasloto misit in capitulum Sancti Juliani domnum Engelbaldum thesaurarium Sancti Mauricii Turonensis, Robertum archipresbiterum, Guillelmum Rufum de Vindocino, in quo capitulo predictus Haimericus in sede abbatis ut abbas residebat totique conventui potestative presidebat, resque monasterii ad libitum suum sine contradictione disponebat. Ibi in multorum audientia prefatam calumpniam dimisit, et predictas capellas Vindocinensi monasterio in perpetuum possidendas concessit, sicut Andegavis fecerat in mea presentia et multorum clericorum laicorumque audientia. Ejus dimissioni calumpnie et capellarum

concessioni conventus qui aderat et ex multis partibus propter hoc ipsum convenerat assensum prebuit, promittens quod deinceps pro illis capellis nec per se nec per alium calumpniam moveret, nec calumpnianti assensum preberet, et ordine judiciario calumpnianti resisteret ; quod viderunt et audierunt suprascripti Haimericus abbas Sancti Juliani, Petr[us] Sirothus prior et totus, sicut dixi, conventus, Robertus abbas Vindocinensis, Rivallonus prior, Hylarius sacrista, Engelbaldus thesaurarius, magister Vaslotus, et alii multi. Et quoniam Deo volente ad regimen terre mee michi te successurum credo, amicabiliter te rogo quatinus Vindocinensis monasterii monachos pro posse tuo defendas et in adversarios eorum rigore[m] tue potestatis extendas. Antecessores enim nostri idem monasterium fundaverunt et usque ad tempora nostra viriliter defenderunt. Ego etiam in suis necessitatibus illi non defui, et libenter quotiens oportuit illi auxilium et consilium prebui. Tu quoque, qui et me et omnes antecessores meos potestate et dignitate per Dei gratiam superabis, pro Dei et mei dilectione Vindocinensis monasterii monachos et res eorum in tua suscipe custodia, nec illos patiaris alicujus gravari malicia.